Jahresbericht

über das

Königliche Katholische Gymnasium in Konitz

vom Schuljahre 1864—65,

mit welchem

zu der öffentlichen Prüfung am 10. August und zu den Schlussfeierlichkeiten am 11. August 1865

ergebenst einladet

der Direktor des Gymnasiums

Dr. Anton Goebel.

Buchdruckerei von Gustav Lange in Berlin, Friedrichsstrasse 103.

1865.

NOVAE QUAESTIONES HOMERICAE.

DE ADVERBIO ἌΓΑ s. ἌΓΑΝ DEQUE VOCIBUS HOMERICIS INDE COMPOSITIS

SCRIPSIT

ANTONIUS GOEBEL.

Ἄγη μ' ἔχει

exclamat Telemachus apud Homerum γ 227, π 243, illic Nestoris, hic patris verba audiens magnifica. Iam equidem, ubi, quae de verborum cum ἄγα copulatorum et originatione et significatione adhuc doceantur, animo pervolvo, facere vix possum, quin eandem vocem effundam: ἄγη μ' ἔχει. Atque vero id cum facio, in ipso vocabulo ἄγη sanioris etymologiae viam ac rationem invenisse mihi videor.

Adverbium ἄγαν nec invenitur apud Homerum usquam, et verba omnia, quorum partem priorem ἄγαν exhibere falso putant, ἄγα habent; quae ut uno in conspectu omnia videas, tabulam adiiciam. Sunt enim nomina propria haec:

Ἀγα-κλέης	Ἀγα-μήδης
Ἀγα-μέμνων	Ἀγα-σθένης
Ἀγα-μήδη	Ἀγά-στροφος
	Ἀγ-ήνωρ,

nomina appellativa haec:

ἀγα-κλεής	ἀγά-ρροος
ἀγα-κλειτός	ἀγά-στονος
ἀγα-κλυτός	ἀγ-έρωχος
ἀγά-ννιφος	ἀγ-ήνωρ, ἀγ-ηνορίη.

Adde ex scriptoribus Homero posterioribus haec:

Ἀγά-θυρσος *(Her.)*, Ἀγά-κλυτος *(Suid.)*, Ἀγα-μένης *(Paus.)*, Ἀγα-μήστωρ *(Apoll. Rhod.)*, Ἀγα-μήτωρ *(Paus.)*, Ἀγ-άναξ [?], Ἀγα-νίκη [?], Ἀγα-πτόλεμος *(Apollod.)*;

ἀγα-κλυμένη *(Antimach.)*, ἀγα-κτιμένα *(Pind.)*, ἀγά-συρτος *(Alcae.?*)*, ἀγά-φθεγκτος *(Pind.)*.

Iam habes verba copulata omnia huc pertinentia; nam quae restant duo Ἀγαν-ίππη *(Paus.)* Ἀγάν-ιππος *(Q. Smyrn.)*, ea ex adiectivo ἀγανός profecta sunt eadem prorsus ratione atque Ἀρίστ-ιππος, Γλαύκ-ιππος, Γλαυκ-ίππη, Δείν-ιππος, Κάλλ-ιππος, Καλλ-ίππη, Κλείν-ιππος, Κλυτ-ίππη, Λεύκ-ιππος, Νεαρ-ίππη, Νόθ-ιππος, Ξάνθ-ιππος, Ξανθ-ίππη, Ξέν-ιππος κτλ.

*) Dubitat de hoc vocabulo **Lobeck**. Path. Element. p. 594.

ex adiectivis ἄριστος, γλαυκός, δεινός, καλός, κλεινός, κλυτός, λευκός, νεαρός, νόθος, ξανθός, ξένος κτλ.

In nullo igitur verbo copulato deprehenditur ἄγαν, nisi forte dubium movent ἀγά-ννιφος, ἀγά-ρροος. Verumenimvero cui perspecta est eorum, qui linguis inter se comparandis operam dant, ratio atque doctrina, ei luce clarius est, ne in istis quidem exstare ἄγαν. Nam νίφ-α (Acc.) antiquissimis temporibus sonuisse σνίφ-α, cum ex aliis linguis, tum ex Gothica patet, ubi idem vocabulum *snaiv-s* sonat. Item verbi ῥέω, unde ῥόος, radix ῥυ primitus sonuit σρυ, quoniam apud Indos exstat rad. *sru*, verbum *srav-âmi* = ῥέω, apud Lithuanos *srav-ju* = ῥέω, *srov-e* = ῥόος etc. Curtius gr. Etym. No. 440. 517.

Conservatur igitur in ἀγά-ννιφος, ἀγά-ρροος, pristinum vocabulorum principium (σ), sed mutatum eadem lege, qua ex Ϝέσ-νυμι s. ἕσ-νυμι fit ἕν-νυμι. Sed ne ii quidem, qui ab hac ratione abhorrent quique universam linguarum inter se comparationem aspernantur, in duobus istis vocabulis ν latere mutatum vel, ut aiunt, assimilatum, iure possunt contendere; etenim quam, quaeso, consonantem finalem volunt latere in ἀψό-ρροος, βαθύ-ρροος, εὔ-ρροος, καλλί-ρροος, κατά-ρροος, ἀκαλα-ρρείτης, ἐπι-ρρέω, περι-ρρέω ... vel quae consonans finalis mutata in ν latet in εὔ-ννητος, ἔ-ννεον (Impf. a νέω Il. Φ 11)?

Adde, quod ex ἄγαν, littera finali abiecta, unquam fieri posse ἄγα, omnino probari nequit. Nam si qui forte ad substantiva, qualia σωφρο-σύνη, γνωμο-σύνη, ἰδμο-σύνη, ἀπημο-σύνη ..., provocant, non intellegunt isti, talium vocabulorum rationem longe aliam esse, cum in thematis quae vocantur, qualia σωφρον (Nom. σώφρων), γνωμον (N. γνώμων), ἰδμον (N. ἴδμων), ἀπημον (N. ἀπήμων) ...., terminatione -σύνη adiecta, litteram ν ante σ notissima illa lege abiici vel elidi necesse sit. Nusquam vero sequentibus vocalibus tota syllaba αν (ἀγ-ήνωρ), nusquam, κ μ φ π consonantibus sequentibus (ἀγα-κλυτός, Ἀγα-μήδης, ἀγά-φθεγκτος, Ἀγα-πτόλεμος), littera ν exturbatur.

Quodsi igitur in copulatis illis verbis ad unum omnibus adverbium ἄγα apparet, iam excutiendum est, quid sit et unde originem ducat hoc adverbium. Equidem nullus dubito, quin eadem ratio intercedat inter ἄγη *(stupor, admiratio)* et ἄγα, quae est inter σιγή et adverb. σῖγα. Iam si comparaveris φύγα in φύγα-δε cum φυγή, ἰῶκα cum ἰωκή, facile intelleges, ἄγα proprie ac primitus esse accusativum quem vocant heteroclitum, praesertim cum etiam alii accusativi in adverbia abeant, sicuti χάριν, δίκην etc. Cf. Buttm. Gr. Gr. § 146. 4.

Potest etiam optimo iure comparari adv. κρύφα; nam vocabula κρυφᾷ, κρυφῇ (pro κρυφῇ), κρυφη-δόν [cf. ἀγελη-δόν, ἡβη-δόν, κλαγγη-δόν, κωμη-δόν, λυσση-δόν, μολπη-δόν, ῥυμη-δόν, στιλβη-δόν, στιχη-δόν, σφαιρη-δόν, σφενδονη-δόν etc.], adiect. κρυφαῖος [ex κρυφα-ιος, ut δίκαιος a δικα, quod thema est substantivi δίκη, ut ἀρχαῖος ex ἀρχα, Nom. ἀρχή etc.] satis demonstrant, exstitisse antiquitus etiam substantivum ἡ κρυφή.

Erunt fortasse, qui rationem praeferant hancce:

ἄγα: τὸ ἄγος = κάρτα: τὸ κάρτος (κράτος) = τάχα: τὸ τάχος.

Verum repugnat primum vocabuli τὸ ἄγος vis atque significatio, repugnat deinde forma recentior ἄγᾱν, quae nihil aliud est nisi ἄγην accusativus; cf. λίᾱν, λίην; πέρᾱν, πέρην, quam accusativi formam esse, non solum ii, qui linguas inter se comparare solent, veluti Benfey. Gr. WL. I p. 131, Bopp. Vgl. Gramm. III 503. 505, verum etiam ii qui ab his studiis alieni sunt, iam pridem cognoverunt; cf. Pape. Lex. Gr. Buttm. Gr. Gr. § 146. Repugnant denique adiectiva ταχύς, κρατύς, unde κράτιστος; cf. ὦκα et ὠκύς.

Causis omnibus quas dixi permotus, censeo, adverbium homericum ἄγα, pro quo posteri

demum ἄγαν dicere consueverunt, significare proprie *stupendum in modum*, *mirum in modum, mirum quantum*, *vehementer*, *valde*. Atque haec significatio in copulatis verbis omnibus permansit; posterius demum ἄγαν in significationem *nimis* abiit. Nunc sane intellegitur, qui factum sit, ut epitheta ab ἄγα incipientia utramque vim induere potuerint, ita ut unum idemque epithetum modo laudet, modo vituperet. Cadit hoc praecipue in epithetum ἀγ-ήνωρ, *stupendum in modum* s. *admodum virilis*, *fortis;* cadit in epith. ἀγ-έρωχος, de quo postea. *Stupor* enim et ipsum est vox, quae vocatur, media, cum modo in secundam, modo in adversam partem accipiatur, cumque is, qui stupet, modo ad laudandum, modo ad vituperandum atque contemnendum proclivis sit.

Quibus expositis non est, quod, quae ab aliis proferuntur etymologicae rationes, pluribus eas refutare conemur.

Haud satis explodi possunt, quae in Dammii lexico homerico leguntur: „ἄγαν adverb. ab α intensivo duplici, interposito γ, cum finali ν." — Sunt qui ἄγαν primitus sonuisse Ϝάγαν et eiusdem stirpis atque Ϝόχα, ὄχα esse opinentur (cf. Benf. l. l. I 88); quo id iure statuant, dispici nequit. Neque magis audiendi sunt, qui de ἀκή, ὠκύς cogitant (Muys. Forsch. II p. 272), vel ii qui (ut Hartung. Part. I p. 350) praefixum quod vocatur sanscrit. *saha* ex copulatis nostris verbis expiscati esse sibi videntur. Admodum sane dolendum est, quod viri docti, novae doctrinae specie allecti, remotissima quaeque praeferunt iis, quae in propinquo iacent. Melius profecto Leenepius, quanquam et is improbandus est. Statuit enim, ἄγαν neutrum esse adiectivi nescio cuius ἄγας, ut μέλας, μέλαινα, μέλαν, et originem ducere a verbo ἄγειν, ut adi. lat. *vehemens* a verbo *vehendi*. Misso adiectivo ἄγας, eius originationem Passovius in lex. gr. recepit. At vero et sane quam mirum est, quod ex usitatissimo hoc verbo nulla alia vocabula aut eiusdem aut similis significationis profecta sunt, neque apparet, quo directo modo ex verbo ἄγειν sive accusativus sive adverbium ἄγα, ἄγᾱν factum esse possit. Nam si quis comparaverit adv. ὄχα s. Ϝόχα, eum fugit, exstare nomen τὸ ὄχος s. Ϝόχος, quod proprie valet *vectio*, tum *vehendi instrumentum*, *currus*. Inter ὄχα autem et τὸ ὄχος eadem intercedit ratio, atque inter κάρτα et τὸ κάρτος s. κράτος, sive exstiterunt quondam adiectiva κρατύς et ὀχύς, sive non exstiterunt. — Eadem fere cadunt in eos, qui directo modo ἄγα s. ἄγᾱν ex verbo ἄγαμαι ducunt. — Doederlinius autem ἄγᾱν ex ἀγανός decurtatum esse suspicatur, ἀγα– autem et ἀγ– (cf. ἀγήνωρ) ex ἄγᾱν iterum mutilata esse vult. Doed. Gloss. No. 73. Vellem hercle unum tantum talis detruncationis exemplum attulisset! Neque vero verborum potestates inter se congruunt.

Quare, nihil morati, ad exponendam copulatorum verborum nostrorum significationem usumque circumscribendum transeamus.

Ἀγα-κλεής, ἀγα-κλειτός, ἀγα-κλυτός

= *mirum quam clarus*, *praeclarus*, *magna fama insignis*. Quorum adiectivorum primum attribuitur Vulcano Φ 379 (Ἥφαιστε, σχέο, τέκνον ἀγακλεές), Menelao Ρ 716, Ψ 529, Priamo Π 738; altero ornatur Galatea Σ 45, Thrasydemus Π 463, Capaneus Β 564, Penelope in versu illo decantato: κέκλυτέ μευ, μνηστῆρες ἀγακλειτῆς βασιλείης ρ 370. 468, σ 350, φ 275; tum legitur γ 59 ἀγακλειτῆς ἑκατόμβης, η 202 ἀγακλειτὰς ἑκατόμβας, Μ 101 Σαρπηδὼν δ' ἡγήσατ' ἀγακλειτῶν ἐπικούρων, Φ 580 ὀτρυνέων παρὰ τεῖχος ἀγακλειτοὺς πυλαωρούς. Tertio epitheto insignitur Ulixes θ 502, Idomeneus Σ 436, ξ 237, Eurytion φ 295, Amphimedon ω 103, praeterea δώματα Nestoris (γ 388. 428) et Alcinoi (η 3. 46) vocantur ἀγακλυτά. — Nomen propr. Ἀγα-κλέης habes Π 571. Sequitur nom. pr.

Ἀγα-μέμνων.

Verbum simplex μέμνων exstat etiamnunc in regis Aethiopum nomine Memnonis λ 521. Magis autem ad illius nominis vim atque originem enucleandam valet verbum copulatum θρασυ-μέμνων. Utrumque iam dudum viri docti ad verbum μένω referre solent, sed neque qua id inde ratione sit ductum, neque quid sibi velit, satis in promptu est.

Sunt qui μίμνω comparent et -μέμνων esse pro με-μένων opinentur. At vero cum ex μένω, reduplicatione quam vocant adhibita ea, quae praesentis propria est, μίμνω = μι-μέν-ω ortum iam sit, mirandum est, quod non audimus -μιμνων; accedit, quod ita vix exitus -ων Gen. ονος, sed potius -ων, G. οντος exspectandus fuit. Quare equidem pro certo habeo, consonantibus transpositis μέμνων dictum esse pro μέν-μων, ita ut evadat suffixum quod vocatur -μων, G. -μονος. Id autem exstat in aliis sexcentis adiectivis verbalibus; exempla sint haec:

a) adiectiva derivata a verbis, quorum stirpes in vocales exeunt:

αἰδή-μων : αἰδέ-ομαι, *is quem pudet;*
ἀλή-μων : ἀλά-ομαι, *vagans*;
ἀλιτή-μων : ἀλιτεῖν cf. ἀλίτησεν, *peccans*;
βά-μων, ἱππο-βά-μων, πεδο-βά-μων : Rad. βα, βέ-βα-α, βαίνω.
γνώ-μων : Rad. γνο, γι-γνώ-σκω, εὐ-γνώ-μων etc.
γοή-μων : γοά-ω, *gemens;*
δηλή-μων : δηλέ-ομαι, *delens*;
ἐλεή-μων : ἐλεέ-ω, *is quem miseret*;
ἤ-μων : Rad. ἑ, ἵημι, *jaculans*, *jaculator*;
θεά-μων : θεά-ομαι, *spectans*, *spectator;*
ἰχνεύ-μων : ἰχνεύ-ω, *investigans;*
πολυ-κτή-μων : κτά-ομαι, *multa acquirens*, *multa possidens;*
ἐρι-κύ-μων : κύ-ω, *valde tumescens;*
μαχή-μων : μαχέ-ομαι, μάχομαι, *pugnans*;
νοή-μων : νοέ-ω, *cogitans*, *providus;*
ἀ-πή-μων, *nihil nocens* : Rad. πα, unde πῆ-μα, πά-θω, interiecto ν, πένθω etc.; cf. αὐτο-πή-μων, *sibi ipsi nocens* etc.
βου-πά-μων : πά-ομαι, *boves possidens*;
πενθή-μων : πενθέ-ω, *lugens;*
τλή-μων : R. τλα, cf. τλῆ-ναι, *perdurans*;

b) adiectiva derivata a verbis, quorum stirpes in consonantes exeunt:

θεο-δέγ-μων : δέχομαι, *deum excipiens*; cf. νεκρο-δέγ-μων;
ἀν-εγέρ-μων : ἐγείρω, *experrectus;*
εὐ-εί-μων *bene vestitus*, ἀν-εί-μων *non vestitus*, κακο-εί-μων *male vestitus* etc. pro -ἕσ-μων : Rad. ἑς, ϝες, ἕν-νυμι = ἕσ-νυμι, cf. εἰ-μί *sum* pro ἐσ-μι, R. ἐσ;
ἴδ-μων : R. ἰδ, ϝιδ, *sciens*, *gnarus;*
λήσ-μων : λήθ-ω, *obliviscens*;
φιλο-παίγ-μων : παίζω, fut. παίξομαι, *libenter ludens*;
πνεύ-μων, πλεύ-μων pro πνέϝ-μων : πνέϝ-ω, πνέ-ω, *spirans*, *pulmo*;

πολυ-πράγ-μων : R. πραγ, πράσσω, *multa agens;* cf. ἀλλοτριο-πράγ-μων, ὀλιγο-πράγ-μων etc.

χιονο-θρέμ-μων, πελειο-θρέμ-μων etc. pro τρέφ-μων : τρέφω;

φράδ-μων : φραδ, φράζω, *meditans*, *prudens.*

Sed haec exempla sufficiant, ut et eorum error evertatur, qui adiectiva in -μων desinentia ex substantivis in -μα, Gen. ματ-ος exeuntibus nescio qua ratione ducere conentur, utque vis illius exitus demonstretur; nam quas apposui proprias atque primas verborum potestates, eae satis planum faciunt, exitum -μων, G. μονος, verbi cuiusvis stirpi subiunctum, in omnibus fere vocabulis vix aliud quidquam valere atque quod participii praesentis act. exitus valet. Ut igitur ἴδ-μων ex R. ἰδ, Ϝιδ, φράδ-μων ex themate φραδ, ita ex themate μεν (μέν-ω) optimo iure μέν-μων vel, quo durior sonus evitaretur, μέμνων fieri potuit; atque valet vocabulum μέν-μων sive, litteris mediis transpositis, μέμνων idem quod με-μα-ώς. Nam μέν-ω proprie nihil aliud est nisi rad. μα. Adiecto ν et vocali α in ε debilitata, ex μα- fit μεν-, praes. μέν-ω, unde τὸ μέν-ος, μέ-μον-α = μέ-μα-α etc. Eadem ratione ex rad. γα (cf. γέ-γα-α, γί-γα-ς, Gen. γίγαντος, γαῖα pro γα-ια,*) sive *natura* sive *procreatrix*) fit thema γεν, unde γίγνομαι = γι-γέν-ομαι, τὸ γέν-ος etc.; ex rad. τα (τέ-τα-μαι, ἐ-τά-θην, τε-τα-νός etc.) thema τεν, unde τεν-jω = τείνω, fut. τεν-ῶ, ὁ τέν-ων κτλ.; ex rad. κτα (ἔ-κτα-σαν, ἔ-κτα-ν, κτά-μενος, ἔ-κτα-μαι, κτα-τός) thema κτεν : κτεν-jω, κτείνω, κτεν-ῶ κτλ, ex rad. φα (πέ-φα-μαι, μυλή-φα-τος, πε-φή-σεται) thema φεν : φένω, ἔ-πε-φν-ον, unde φον-εύς, φόν-ος etc. Non est quod demonstrem, μένω primitus idem significasse atque ΜΑΩ, testis est τὸ μέν-ος, testis μέ-μον-α etc.; sed libet hoc loco quasi in praetereundo explicare, qui factum sit, ut μένω notionem *exspectandi*, *manendi* affectaverit: is, qui rem aliquam exspectat, animo eam petit, appetit, ad eam aspirat; ex notione autem *exspectandi* facili opera pervenies ad *manendi* notionem. Sed haec notio minus quadrat ad nomina antiquissima Μέμνων, Ἀγα-μέμνων, θρασυ-μέμνων. Mitto, quod notio ista *manendi* procul dubio recentior est quam nomen Memnonis, Aurorae filii, vel Agamemnonis. At quis sana mente credere potest, Aurorae filium propter *manendi* facultatem nomen *Memnonis* accepisse, vel Herculem θρασυ-μέμνονα vocatum esse, et Argivorum ducem nomen Ἀγα-μέμνονος accepisse propterea, quod ille fortiter, hic mirum in modum *permanserit?* Vereor, ne interpretes verbum μένειν acceperint pro τλῆναι! Quanquam longe inter se differunt; μένειν nunquam valet *perferre*, *obdurare*, sed modo *manere*, *remanere* (intrans.), modo *manere aliquem s. aliquid.* Immo θρασυ-μέμνων est quasi θρασὺς κατὰ τὸ μένος, ut antiqui interpretes, quod ad formam attinet, perperam, quod ad sententiam, optime explicant, est = θρασέως μεμαώς, *audacter nitens*, *audaci animo.* Μέμνων autem, si Aurorae filius est, quid primitus esse potest, nisi aura matutina, ventus vehementius ex oriente flans? Est enim ΜΑΩ cognatum cum latino verbo *movendi* et saepissime etiam apud Homerum valet *movere;* cf. αὐτό-μα-τος, *se ipsum movens*, ἄμοτον μεμαῶτες, *vehe-*

---

*) Cf. Ahrens. Gr. Lautl. p. 154; Doederl. Gloss.; Pott. in Kuhnii Ann. 1857. p. 18. — Prorsus aliter de vocabulo γαῖα statuerunt Bopp. Gramm. I. p. 255, Benfey l. l. II. 114, qui ortum esse volunt ex rad. *gâ*=βα, βαίνω, unde sanscr. *gô*=βοῦς et γῆ. Repetunt hanc explicandi rationem Schweizer in Annalibus quos edit Adalb. Kuhn. 1853 p. 304, Leo Meyer ibid. 1856 p. 373, nuperrime Augustus Fick in Orient. et Occid. 1865 p. 297, alii. Muys. l. l. II p. 6 γαῖαν ducit ab adiect. βαιός, ἠβαιός *humilis*, *planus*, et *planitiem* significare suspicatur. — Mutato γ in δ (!) ex γῆ fieri δῆ, δᾶ fere putant; negat Pott. l. l. 1857. p. 118. et de verbo *dandi* cogitari iubet. Haud scio an haec ratio praeferenda videatur: ut ex rad. δρα [δι-δρά-σκω, ἔ-δρα-ν, δρᾶ-ναι] nova stirps profecta est δρεμ, δρέμ-ω [ἔ-δραμ-ον, δρόμ-ος . . .], ita δέμ-ω, unde ἐ-δάμ-ην, δόμ-ος . . ., ex rad. δα propagatum esse mihi quidem videtur, hinc ἡ δᾶ s. δῆ (ex δα-ια, ut γῆ ex γαῖα) = *res fabricata*, δόμος, *domicilium hominum* etc. = *terra.*

*menter sese moventes**). Hinc Μέμνων pro μένμων = *sese movens*, *commotus* (= *ventus flans*). Confer, quae de Memnone sagacissime disputavit Muys. l. l. II. p. 3. 320, I. p. 110. Hinc nullo pacto dubitandum est, quin Ἀγα-μέμνων sit *homo*, *qui stupendum vel mirum in modum nitatur*, *conetur*, *ad altiora aspiret*. Quae significatio quam egregie cum Agamemnonis natura ac moribus consentiat, in promptu est. Attamen inde quod apud Lacedaemonios ipsi Iovi cognomen erat Agamemnonis (Potter. ad Lyc. Cass. 335; Jacobi. Myth. p. 896), quidam Agamemnonem regem nullum, sed a principio eundem ac Iovem, caeli quasi agitatorem, fuisse arbitrati sunt. Cf. Muys. l. l. II. p. 3. Sed cave, ne, ad eorum accedens rationem, qui omnibus antiquitatis remotioris nominibus nescio quas naturae vires ac potestates designari opinantur, ad nugas delabaris atque absurdissimas res proferas. Homerus certe ab disputationibus istis abstrusioribus alienissimus fuit.

Ἀγα-μήδη

vocatur Augiae regis filia, Mulii uxor, de qua Λ 741 legitur:

ἣ τόσα φάρμακα ᾔδη ὅσα τρέφει εὐρεῖα χθών.

Cum verbum μήδομαι idem valeat atque *meditor*, *prudenter consulo*, nomen illam propter ipsam prudentiam atque rerum cognitionem accepisse apparet; namque Ἀγα-μήδη sonat *admodum sapientiae consulta*, *sagax*, *sollers*. Eiusdem originis est

Ἀγα-μήδης,

regis Orchomenii nomen illius, qui, templo Delphico condito (hymn. Apoll. 296) illustre sapientiae ac prudentiae specimen dedit; quocirca vehementer equidem miror, quo iure Preller Gr. Myth. II p. 346 nomen Agamedis hominem sanctissimum („*der Hochheilige*“) significare statuerit.

ἀγάννιφος

admodum nivosus epitheton est Olympi Α 420, Σ 186, qui alias vocatur νιφόεις Σ 616. Ab hac montis descriptione dissentire videntur, quae leguntur ζ 41 ss.

Ἡ μὲν ἄρ' ὣς εἰποῦσ' ἀπέβη γλαυκῶπις Ἀθήνη
Οὔλυμπόνδ', ὅθι φασὶ θεῶν ἕδος ἀσφαλὲς αἰεὶ
ἔμμεναι. οὔτ' ἀνέμοισι τινάσσεται, οὔτε ποτ' ὄμβρῳ
δεύεται, οὔτε χιὼν ἐπιπίλναται, ἀλλὰ μάλ' αἴθρη
πέπταται ἀνέφελος, λευκὴ δ' ἐπιδέδρομεν αἴγλη·
τῷ ἔνι τέρπονται μάκαρες θεοὶ ἤματα πάντα.

Locorum dissensionem quidam (ut Friedreich. Real. p. 36) ita expedire conantur, ut hoc loco a poeta caelestem Deorum sedem, illis ipsum montem designari dicant. Sed vereor, ne toto caelo errent; nam cum versu ζ 41 ἀπέβη Οὔλυμπόνδε compara Α 420 εἶμ' αὐτὴ (Θέτις) Ὄλυμπον ἀγάννιφον, Σ 616:

ἡ δ' ἴρηξ ὣς ἆλτο κατ' Οὐλύμπου νιφόεντος,
τεύχεα μαρμαίροντα παρ' Ἡφαίστοιο φέρουσα.

Et hic et illic locus est idem. Multo felicius Dammius in lex. difficultatem solvit, dicens, „Olympum,

---

*) ἄ-μο-τον a rad. μα derivandum esse, mutato α in ο, praefixo ἀ intensivo, subiuncto exitu adiectivorum verbalium -τός, iam inde patet, quod fere semper coniungitur cum participio με-μα-ώς; et quidem significat adi. ἄμοτος, cuius neutrum pro adverbio ponitur, *valde citatus*, *vehemens*.

cacuminibus supra nubes elatum*), infra nubes nivosum esse; esse etiam alios montes in quibusdam cacuminibus suis nunquam subiectos nubibus, hinc et nec ventis nec pluviis". Facit pro hac explanatione mirum in modum E 748 ss.

Ἥρη δὲ μάστιγι θοῶς ἐπεμαίετ' ἄρ' ἵππους·
αὐτόμαται δὲ πύλαι μύκον οὐρανοῦ, ἃς ἔχον Ὧραι,
τῇς ἐπιτέτραπται μέγας οὐρανὸς Οὔλυμπός τε,
ἠμὲν ἀνακλῖναι πυκινὸν νέφος ἠδ' ἐπιθεῖναι.
τῇ ῥα δι' αὐτάων κεντρηνέκεας ἔχον ἵππους.
εὗρον δὲ Κρονίωνα θεῶν ἄτερ ἥμενον ἄλλων
ἀκροτάτῃ κορυφῇ πολυδειράδος Οὐλύμποιο.

Unde sequitur, supra nubes in ipsius Olympi summis partibus οὐρανόν sive Deorum sedem fuisse. Idem aliis locis et satis multis comprobatur; cf. Ξ 154. 225, Τ 114 etc. Illae autem arces aetheriae carent et pluviis et nivibus; solae partes nubibus inferiores nivibus obteguntur. Ita dumtaxat poeta cogitatione rem sibi finxit. — De forma ἀγάννιφος = ἀγά-σνιφος cf. Christ. gr. Lautl. 85, Ahrens. Rh. Mus. 1843 p. 169.

ἀγάρροος,

a ῥέω verbo, *vehementer fluens, admodum aestuans*, est epitheton Hellesponti B 854, M 30, maris in hymn. Cer. 34.

Ἀγα-σθένης

mira vi praeditus, admodum pollens (σθένω, τὸ σθένος) nomen est Eleorum principis B 624.

ἀγά-στονος,

a στένω verbo, *vehementer fremens, valde sonans* Amphitrite vocatur μ 97, hymn. Apoll. 94.

Ἀγά-στροφος

(a vb. στρέφω) nobilis Troianus fuit, quem Diomedes occidit Λ 338 ss., 373. Nomen si comparatur cum Epistrophi nomine, quo Iphiti filius B 517, Eueni filius B 692, Halizonum dux B 856 utuntur (cf. α 177 ἐπίστροφος ἦν ἀνθρώπων *multum commercii cum hominibus habebat*), significare videtur *hominem perquam versatum*, *hominem, qui multum huc illuc se convertit* (στρέφεσθαι).

Iam venimus ad epitheton illud adhuc densissimis tenebris obductum

ἀγ-έρω-χος.

Ornantur hoc verbo apud Homerum Troes Γ 36, E 623, H 343, Π 708, Φ 584, Mysi K 430, Rhodii B 654, Periclymenus λ 285, in Batrachom. 144 ipsae ranae. Quae de eo apud scholiastas homericos exstant, haec sunt:

Schol. ad B 654: ἀγερώχων: ἄγαν γέρας ἐχόντων, ἐντίμων. BL. νῦν αὐθαδῶν, ὑβριστῶν καὶ θρασέων. δηλοῖ δὲ καὶ λίαν ἐνδόξων. D. — Schol. ad Γ 36: ἡ διπλῆ, ὅτι ἀγερώχους τοὺς Τρῶας, οὐ μόνον τοὺς Ῥοδίους, ὥς τινες ᾠήθησαν, διὰ τὸ ἀγείρειν τὴν ὀχήν, τουτέστι τὴν τροφήν· ὁ γὰρ Ὅμηρος ἀγερώχους τοὺς ἄγαν γεραώχους καὶ σεμνούς λέγει. λίαν γέρας ἐχόντων. ἄμεινον δὲ ἐνταῦθα τὸ μεγαλοφρόνων. BL. — Schol. ad K 430: ἡ διπλῆ, ὅτι οὐ μόνον ἐπὶ Ῥοδίων χρῆται τὸ ἀγέρωχοι, ἕνεκα τοῦ ἀγείρειν τὴν ὀχήν, τουτέστι τὴν τροφήν, ἀλλ' ἐπὶ Μυσῶν καὶ Τρώων,

*) Fere putant Olympum sex septemve milia pedum esse altum, Bursian. Geogr. I. p. 41 novem pedum milia ei attribuit.

οἷον γεραόχων, σεμνῶν καὶ ἐντίμων. A. — Schol. ad λ 286 (ed. Dindf.): Ἡσίοδος τὸν Περικλύμενον διηγεῖται δῶρον εἰληφέναι παρὰ Ποσειδῶνος ὥστε ἀμείβειν ἑαυτὸν εἰς οἵου ζῴου ἢ δένδρου ἐθέλοι εἰκόνα. ἀγέρωχον οὖν ἀκουστέον νῦν τὸν ἄγαν ῥᾳδίως μεταφερόμενον καὶ μεταχεόμενον εἰς ὃ ἂν βούλοιτο H. Q. V. Iam igitur haec tria veriloquia habemus aeque falsiloqua: 1) ἄγαν + γέρας + ἔχω, 2) ἀγείρω + ὀχή, 3) ἄγαν + ῥέα + χέω. Adde ex Apollonii Sophistae lex. hom. 4) ἀπὸ τοῦ ἄγαν ἐπὶ τοῦ γέρως ὀχεῖσθαι. Verba enim Apollonii sunt haec: ἡ μὲν καθ' ἡμᾶς συνήθεια τὴν λέξιν ἐπὶ τοῦ ψόγου ταύτην τάσσει· τοὺς γὰρ αὐθάδεις καὶ ἀπαιδεύτους ἀγερώχους λέγει. ὁ δὲ Ὅμηρος τοὺς ἄγαν ἐντίμους, ἀπὸ τοῦ ἄγαν ἐπὶ τοῦ γέρως ὀχεῖσθαι. Etymologicum Magnum ex Orione affert: 5) σημαίνει δὲ τὸν αὐθάδη, παρὰ τὸ ἄγαν αὐχεῖν, 6) ἢ ὁ ἔντιμος καὶ ἀνδρεῖος, παρὰ τὸ ἄγαν γερουχεῖν, 7) alia derivandi ratio servata est apud Eustathium ad B 653: Ἀλκαῖος δὲ καὶ Ἀρχίλοχος ἀγέρωχον τὸν ἄκοσμον καὶ ἀλαζόνα. τοῦτο δὲ ἴσως ἐκ μεταφορᾶς τοῦ ὑπερηρμένου καὶ ὑπερφανοῦς καὶ τοῦ κούφου καὶ ἐλαφροῦ, ὃς ἄγοιτο ἂν ῥᾷον ὑπὸ ὄχου ἤγουν ἅρματος. Apud eundem invenitur l. l. 8) δύναται ἡ λέξις οὐ μόνον δηλοῦν σεμνοὺς τοὺς τοιούτους, ἀλλὰ καὶ ἡνιοχικοὺς παρὰ τὸ ἄγειν ῥᾷον καὶ ἐλαύνειν ὄχους, οἳ καὶ ὄχεα λέγονται διγενῶς. — A ratione, quam tertio loco posuimus, paulo differt 9) ea, quam idem Eustathius ad λ 285 proponit: Διό φασι καὶ ὁ ποιητὴς ἀγέρωχον αὐτὸν (τὸν Περικλύμενον) ἐνταῦθα καλεῖ, ὡς ἀγόμενον ῥᾳδίως καὶ χεόμενον εἰς ὃ ἂν βούλοιτο. Haud scio an 10) Hesiodus ipse suam epitheti originationem disertis verbis significaverit, dicens in Catalog. [cf. Hesiod. carm. ed. Gaisf. frgm. XXII]:

— — — — Περικλύμενόν τ' ἀγέρωχον,
ὄλβιον, ᾧ πόρε δῶρα Ποσειδάων ἐνοσίχθων
παντοῖ'· ἄλλοτε μὲν γὰρ ἐν ὀρνίθεσσι φάνεσκεν
αἰετός. ἄλλοτε δ' αὖτε πελέσκετο, θαῦμα ἰδέσθαι,
μύρμηξ· ἄλλοτε δ' αὖτε μελισσέων ἀγλαὰ φῦλα·
ἄλλοτε δεινὸς ὄφις καὶ ἀμείλιχος. εἶχε δὲ δῶρα
παντοῖ', οὐκ ὀνομαστά, τά μιν καὶ ἔπειτα δόλωσεν
βουλῇ Ἀθηναίης. — — — Nam γέρας valet etiam δῶρον.

Praetereundi sunt Hesychius, Suidas, scholiastae alii, lex. Gudianum etc., cum omnes, quos quidem veteres fecere huius vocabuli explanandi conatus, in conspectu iam habeas, cumque semel proposita iterare pigeat.

Omnibus autem his conatibus, primo, altero decimoque exceptis, quam maxime laedi leges etymologicas, non est quod pluribus explicem. Neque vero tres illi ullius momenti sunt. Nam epitheton *valde honorati* non modo perquam ieiunum est et a natura locorum homericorum alienum, verum etiam discrepat ab universo posteriorum scriptorum vocabuli usu. Idem cadit et in extremam explicandi rationem et in secundam, praeterquam quod *victum comparantes* s. ὀχὴν ἀγείροντες (fac Homerum iam cognovisse vocabulum ὀχή) neque populi bellantes neque Periclymenus mortuus neque ranae pugnantes a sano quidem poeta appellari possunt. Quare recentiores interpretes vocabulum aliter explicare conabantur.

Leenep. Etym. p. 20 originem repetit a verbo quodam ficticio ἀγερώσσω, quod profectum esse opinatur ab ἀγείρω, cuius stirps prima sit ἄγω. „Ἀγερώσσω, inquit, vi naturae suae, significare potuit *multitudinem congregare,* atque inde *versari in circulis.* Hinc ἀγέρωχος *is* proprie videtur esse, *qui circulos habet:* ut fere solet ἀγύρτης *circulator.* Hinc iam bonam in partem si accipias, ἀγέρωχος significare potest *honoratum*; sin in malam partem, *ostentatorem, jactatorem,* qui instar *agyrtae* sit, *superbum, insolentem* etc." Risum teneatis, amici? —

Scheidius vero, Leenepii editor, provocans ad Hesychium, qui ἀγερώσατο explicavit ἠμέλησε *non curavit, neglexit*, item ἠθέτησε *irritum fecit*, et διεψεύσατο *fefellit*, quique ἀγερώσσει affert pro ἀθετεῖ *abolet* (et pro ἀγρυπνεῖ *vigilat*), suspicatur γερώσσω (a γερόω, a γέρας e stirpe γέρω = *gero!*) valere *curam gerere;* hinc ἀγέρωχον esse eum, *qui nihil curae habeat, ferocem, audacem.*

Quamvis absurda sit haec interpretatio et longe abhorreat ab usu vocabuli posteriori, tamen nescio an absurdiora etiam proposuerint Boettcher, Doederlinius, Benfeius. Ille in libello, cui titulus est *Aehrenlese zur homerisch-hesiodeischen Wortforschung* Dresd. 1848 p. 4 ss., vocabulum derivat ab ἀγείρω, cui nescio quo iure vim *concitandi* vindicare ausus est, et ὠκύς et vertit p. 10 *„reg-rasch, reg-scharf, mobilis, ferox, citus, citatus."* Alter vero in Gloss. No. 54, ἀγερώχους esse et ὄχους ἀγείροντας et ἐπ' ὄχοις ἀγειρομένους. Quomodo haec explicatio quadret in ranas Batr. 144, vel in νίκας ἀγερώχου (Pind. Ol. X 95), vel in πλούτου στεφάνωμ' ἀγέρωχον (Pind. Pyth. I 96), vel in ἀγερώχων ἐργμάτων (Pind. Nem. VI 58), vel in Bacchas, in mulierem rixantem, in rosam, in equos, tauros, asinos, capros etc. (v. Steph. Thes.), nullus dispicio. Benfeius vero Gr. WL. II p. 291 eiusdem stirpis vocabulum esse vult atque γαῦρος, γαυρόω. Consentit Hartung. in Adnot. ad Pind. Pyth. I. 94. Vellem exemplis istam sonorum mutationem comprobavissent viri doctissimi.

Ameisius denique in adnot. ad Odyss. λ 286 cogitat de ἄγαν + 'ΕΡΑ + ἔχω et interpretatur *multum agri habens.* At obstat primum natura vocabuli 'ΕΡΑ, unde ἔραζε, dorice ἔρασδε (*humum*), quippe quod humum illud, non agrum significet; obstat deinde universus usus posterior.

Quae cum ita sint, nova verbi derivandi via atque ratio instituenda est. Quid? si subst. ἐρωή *impetus* stirps sit? Tum ἀγ-έρω-χος idem valet, quod gall. *fort impétueux*, germ. *sehr ungestüm*, lat. *magno impetu*, modo = *ferox, violentus, vehemens*, modo = *importunus, procellosus* etc. Iam facili opera perspicitur, unde factum sit, ut epithetum nostrum nunc laudem enunciet, nunc turpitudinem infligat, neque ulla in posteriorum scriptorum usu difficultas restat, imo vero omnia nunc plana videntur esse. Quem usum copiosius circumscribere, cum id ab Henr. Stephano in Thes. ling. gr. laudabiliter factum sit, optimo iure supersedeo. Quare de forma tantum dicendum videtur. Nam erunt fortasse, qui in terminatione -χος [fem. χη] haereant.

Verumenimvero facile demonstrari potest, 1) exstare illud quod vocatur suffixum, 2) valere idem quod germanicum *-haft*, (utrum cohaereat cum verbo ἔχειν necne, in medio relinquam), 3) subiungi nominum stirpibus fere non mutatis, 4) formare proprie adiectiva, sed abire ea saepe in substantivorum vim. Recensebo igitur exemplorum numerum satis magnum et quidem duce Lobeckio (Path. serm. gr. proleg. p. 332), qui verba huc pertinentia diligentissime collegit neque tamen terminationis vim atque naturam perspexit.

Τίμα-χος, nom. pr., unde Τιμαχίδας, a stirpe τιμα-, nominat. τιμή, *ehrenhaft, honore ornatus.* — νηπία-χος, a νηπιάη = νηπιέη, unde acc. plur. Odyss. α 297 νηπιάας, stirpis altero α extruso, *puerilia habens, agens.* — κύμβα-χος, a st. κυμβα, nominat. ἡ κύμβη, *curvaturam habens, curvatus, pronus.* Subst. ὁ κύμβα-χος *„galeae rotunditas suprema"* (Damm.). — ὁ οὔρα-χος proprie = οὐρὰν ἔχων. — ὁ οὐρία-χος plerumque ab οὐρά derivatur, sed qua id ratione fieri possit, non liquet. Verum si ad locos homericos omnes animum attenderis, partem illud hastae vibrantem, maxime concitatam significare intelleges. Λ 442:

— — δόρυ δ' ἐν κραδίῃ ἐπεπήγει,
ἥ ῥά οἱ ἀσπαίρουσα καὶ οὐρίαχον πελέμιζεν
ἔγχεος. — — Π 611 = Ρ 528:

— — τὸ δ' ἐξόπιθεν δόρυ μακρὸν
οὔδει ἐνισκίμφθη, ἐπὶ δ' ουρίαχος πελεμίχθη
ἔγχεος.

Iam vero ἡ οὐρία i. q. ὁ οὖρος = flatus concitatior navigationemque accelerans. Hinc οὐρία-χος i. q. οὐρίαν ἔχων, *concitationem habens*, *concitata hastae pars*, i. e. *extrema;* ὁ οὖρος autem, unde οὔριος, ἡ οὐρία, procul dubio a rad. ὀρ, praes. ὄρ-νυμι ductum est. — ὁ ξύλο-χος, a ξύλο-ν, *arbores habens* i. e. *silva*. Ex ξύλον + ἔχω fieri debebat ξυλοῦχος, sicuti κληροῦχος, ταλαντοῦχος κτλ. — Πόλι-χος, Πτόλι-χος (n. pr.), a πόλι-ς, *urbem habens*, *tenens*. — ὁ βότρυ-χος, βόστρυ-χος a βότρυ-ς, *uvas habens, tenens*, i. q. *pes vinaceorum* = *Traubenstengel*. — ὁ στόμα-χος a στοματ, nom. τὸ στόμα, *os habens*, hinc i. q. *fauces; iugulum*; *stomachus; vesicae collum*. — λυμά-χη, a st. λυμα, nominat. λύμη, λύμην ἔχουσα, λύμασις, *contumelia*. — Πέτρα-χος et Πέτρω-χος, n. pr. a πέτρα. — Βώτα-χος (unde Βωτα-χίδαι demus atticus) a st. βωτα, nominat. βώτης i. q. βούτης, *bubulcos habens*. — πύρρ-ι-χος, πυρρ-ί-χη a πυρρός. Sed exemplorum satis superque. Unum addam nom. pr. Ἔρω-χος, quae urbs est Phocaica apud Herodotum VIII 33; apud Paus. X 3, 2 Ἐρω-χός scribitur. Cum Phocis valde montuosa sit, fieri non potest, quin multa loca ventis atque tempestatibus exposita sint; hinc et urbs Phocaica Ἀνεμώρεια, de qua Strabonem p. 423 et Schol. ad Il. B 521*) conferas, et Ἔρωχος urbs nomen accepit, utpote quae crebro ventorum *impetu* uteretur.

Si qui forte mirantur, quod α stirpis ἐρωα (nom. ἐρωή) non appareat, eos reiicere possum ad innumera vocabula, in quibus idem α eliditur; pauca exempla sufficiant: ex ἐλάα fit ἐλά-διον, ἐλά-ινος, ex νηπιάα: νηπία-χος, ex γαῖα: γα-κίνας, γαι-ώδης; ex μυῖα: μυί-αγρος; ex οὐρά: οὐρ-αγία; ex γωνία: γωνί-διον; ψυχή: ψυχ-αγωγός; ἀοιδή: ἀοίδ-ιμος; αἶσα: αἴσ-ιμος; ὀπώρα: ὀπωρ-ινός; ἡμέρα: ἡμερ-ινός; ζεῖα: ζεί-δωρος. Verum haec hactenus.

Restat, ut locos, quibus epitheto nostro ἀγ-έρω-χος utatur Homerus, recenseamus, quo manifestius fiat, quantopere vocabuli vis atque natura, qualem quidem supra circumscripsimus, cum poematis homericis conveniat. Legitur Γ 33 ss.:

ὡς δ' ὅτε τίς τε δράκοντα ἰδὼν παλίνορσος ἀπέστη
οὔρεος ἐν βήσσῃς, ὑπό τε τρόμος ἔλλαβε γυῖα,
ἄψ τ' ἀνεχώρησεν, ὦχρός τέ μιν εἷλε παρειάς,
ὣς αὖτις καθ' ὅμιλον ἔδυ Τρώων ἀγερώχων,
δείσας Ἀτρέος υἱὸν Ἀλέξανδρος θεοειδής.

Nimirum, quo ferociores sunt Troes, eo maiori despectu, eo trucioribus vultibus recedentem Alexandrum receperunt; unde Hector continuo in eum invehitur verbis: Δύσπαρι, εἶδος ἄριστε, γυναιμανές, ἠπεροπευτά κτλ. — E 623:

δεῖσε δ' ὅ γ' ἀμφίβασιν κρατερὴν Τρώων ἀγερώχων,
οἵ πολλοί τε καὶ ἐσθλοὶ ἐφέστασαν ἔγχε' ἔχοντες,
οἵ ἑ μέγαν περ ἐόντα καὶ ἴφθιμον καὶ ἀγαυὸν
ὦσαν ἀπὸ σφείων· ὁ δὲ χασσάμενος πελεμίχθη.

Tanto tum *impetu*, tanta *ferocitate* fuere Troiani, ut vel ingentem Aiacem repellerent. H 341:

ἔκτοσθεν δὲ βαθεῖαν ὀρύξομεν ἔγγυθι τάφρον,
ἥ χ' ἵππους καὶ λαὸν ἐρυκάκοι ἀμφὶς ἐοῦσα,
μή ποτ' ἐπιβρίσῃ πόλεμος Τρώων ἀγερώχων.

---

*) αὕτη μεταξὺ κεῖται Φωκίδος καὶ Δελφῶν, ἐφ' ὑψηλοῦ τόπου, ὅθεν καὶ οὕτως ὠνομάσθη παρὰ τὸ καταπνεῖσθαι αὐτὴν σφοδρῶς. AD. Ulrichs. „Reisen" p. 130. 140. Bursian. „Geogr. von Gr. I p. 170.

Adeo igitur Graeci Troianorum ferocitatem atque impetum in metu habebant, ut castra quam celerrime muris, vallo atque fossa munire decernerent. Π 707 (verba sunt Apollinis):

χάζεο, διογενὲς Πατρόκλεις. οὔ νύ πω αἶσα
σῷ ὑπὸ δουρὶ πόλιν πέρθαι Τρώων ἀγερώχων,
οὐδ' ὑπ' Ἀχιλλῆος, ὅς περ σέο πολλὸν ἀμείνων.

Similis locus est Φ 583 (Agenoris verba sunt):

ἦ δή που μάλ' ἔολπας ἐνὶ φρεσί, φαίδιμ' Ἀχιλλεῦ,
ἤματι τῷδε πόλιν πέρσειν Τρώων ἀγερώχων,
νηπύτι'· ἦ τ' ἔτι πολλὰ τετεύξεται ἄλγε' ἐπ' αὐτῇ.
ἐν γάρ οἱ πολέες τε καὶ ἄλκιμοι ἀνέρες εἰμέν,
οἵ καὶ πρόσθε φίλων τοκέων ἀλόχων τε καὶ υἱῶν
Ἴλιον εἰρυόμεσθα. σὺ δ' ἐνθάδε πότμον ἐφέψεις,
ὧδ' ἔκπαγλος ἐὼν καὶ θαρσαλέος πολεμιστής.

Locus ipse satis nostram verbi explicationem comprobat. Cum quibus compares velim, quae alia Troianis epitheta illi simillima indidit poeta. Vocantur enim iidem ἀγήνορες Κ 299, ἄλκιμοι Λ 483, μεγάθυμοι Κ 205, Λ 294, Ν 456, Ρ 420, Ψ 175. 181, μεγαλήτορες Θ 523, Φ 55, ὑπέρθυμοι Ζ 111, Ι 233, Λ 563, Ν 456, Ξ 15, Ο 135, Ρ 276. 420, Υ 366, Ψ 175. 181, ὑπερηνορέοντες Δ 176, ὑπερφίαλοι Ν 621, Φ 414. 459.

Mysos (Κ 430) et Rhodios (Β 654), complures populos enumerans, epitheto ἀγέρωχοι insignivit poeta, quare non est, quod locos transcribamus, verum illud non nullius momenti est, quod iidem Mysi Ξ 512 καρτερόθυμοι appellantur. — Nec denique Periclymenus, qui cum ipso Hercule pugnare ausus esset, immerito λ 285 laudatur adiecto vocabulo ἀγέρωχος.

Sequitur verbum

ἀγ-ήνωρ,

mirum quam virilis s. *fortis* s. *strenuus*, vel etiam *admodum audax*. Cuius verbi etymologia ab ἄγα + ἀνήρ quamquam nullam dubitationem habet, tamen praeter vulgarem illam (ἄγαν + ἀνήρ), aliae sex a veteribus proponebantur: 1) ἄγαν + ἠνορέη. Eustath. ad α 106: γίνεται δὲ ἐκ τοῦ ἄγαν καὶ τοῦ ἠνορέη, τουτέστιν ἀνδρία. Cf. Suid. s. v. παρὰ τὸ ἄγαν τῇ ἠνορέῃ ὅ ἐστιν ἀνδρείᾳ χρῆσθαι. 2) ἄγαμαι + ἠνορέη. Eustath. ad Η 41: ἀγῶ γὰρ καὶ τὸ θαυμάζω, ὅθεν καὶ εἶδος ἀγητοὶ οἱ ἀξιοθέατοι καὶ ἀγήνωρ ὁ ἀγαστὸς τὴν ἠνορέην. 3) Aliter idem, quamquam ex eodem verbo, derivat ad Ο 392: ὁ δὲ ἀγαπήνωρ Εὐρύπυλος ῥηθείη ἂν καὶ ἀγήνωρ, τὸ μὲν ὡς ἀγαπῶν, τὸ δὲ ὡς ἀγώμενος ἤτοι θαυμάζων τὴν ἠνορέην. Iteratur haec explicatio ad Ψ 124. 4) Idem ad Χ 457: ἰστέον δὲ ὅτι ἡ ἀγηνορία καὶ ἄλλως ἐτυμολογουμένη δύναται καὶ οὕτως καθίστασθαι. λέγοιτο γὰρ ἂν ἀγήνωρ καὶ ὁ τῶν ἄλλων προάγων ἀνέρων ἤτοι ἀνδρῶν ... ὁ δὲ προθέων ἤτοι προάγων τῶν ἀνδρῶν καλῶς ἂν ἀγήνωρ λέγοιτο. 5) Idem ad α 106: καὶ ἄλλως δὲ ἀγήνωρ ὁ ἀνδρεῖος, ἀπὸ τοῦ ἄγειν ἄνδρας ἤτοι ἄρχειν ἀνδρῶν. 6) Ibid. ἢ καὶ ἀπὸ τοῦ ἄγειν ἄνδρας ἤτοι ληΐζεσθαι. In Etymologico Magno, in Etym. Gud. etc. talium ineptiarum nihil reperitur. Neque viri docti recentiores verbi vim atque significationem non recte perspectam habent, quapropter id tantum nobis agendum videtur esse, ut usum homericum accuratius ante oculos ponamus. Ac primum quidem formae quaedam dicendi quasi sollemnes notandae sunt: 1) κραδίη καὶ θυμὸς ἀγήνωρ Ι 635, Κ 220. 244, δ 548, σ 61; — 2) ἐπεπείθετο θυμὸς ἀγήνωρ β 103, κ 406. 466. 475. 550, μ 28. 324, τ 148, ω 138. — 3) ὀτρύνει κραδίη καὶ θυμὸς ἀγήνωρ Κ 220. 319, σ 61; cf. ἀνήσει θυμὸς ἀγήνωρ Β 276, ἐπέσσυτο θυμὸς ἀγ. Ι 398, κέλεται δέ ἑ θ. ἀγ. Μ 300. Omnino omnium saepissime

verbo θυμός adiicitur, et quidem ubi agitur de procis β 103, δ 658, σ 61, τ 148, ω 138; de Ulixe ι 213, κ 406. 475, ξ 219, K 244; de Ulixe eiusque sociis κ 466, μ 28; de solis eius sociis κ 550, μ 324; de Graecis adversus Troiam bellantibus λ 561; de Thersite B 276; de Menelao δ 548; de Achille I 398. 635, Υ 174; de Diomede K 220; de Dolone K 319; de Hippodamante Υ 406; de leone M 300, Ω 42. Pro locorum autem natura modo in bonam (id quod fere fit), modo in malam partem accipiendum est. Certe, si de Thersite audiverimus hanc vocem:

ὢ πόποι, ἦ δὴ μυρί' Ὀδυσσεὺς ἐσθλὰ ἔοργεν
βουλάς τ' ἐξάρχων ἀγαθὰς πόλεμόν τε κορύσσων·
νῦν δὲ τόδε μέγ' ἄριστον ἐν Ἀργείοισιν ἔρεξεν,
ὃς τὸν λωβητῆρα ἐπέσβολον ἔσχ' ἀγοράων.
οὔ θήν μιν πάλιν αὖτις ἀνήσει θυμὸς ἀγήνωρ
νεικείειν βασιλῆας ὀνειδείοις ἐπέεσσιν —:

tum profecto nemo istius homulli fortitudem laudibus efferri arbitrabitur, sed potius castigari audaciam atque impudentiam. Neque vero hominibus ipsis non attribuitur epitheton, veluti procis Penelopes α 106. 144, β 235. 299, π 462, ρ 65. 79. 105, σ 43. 346, υ 284. 292, φ 68, ψ 8; — Troianis K 299; Laomedonti Φ 443. Postremo praedicatum quod vocant est I 699:

Ἀτρείδη κύδιστε, ἄναξ ἀνδρῶν Ἀγαμέμνων,
μηδ' ὄφελες λίσσεσθαι ἀμύμονα Πηλείωνα,
μυρία δῶρα διδούς· ὁ δ' ἀγήνωρ ἐστὶ καὶ ἄλλως·
νῦν αὖ μιν πολὺ μᾶλλον ἀγηνορίῃσιν ἐνῆκας.

Quibus Diomedis verbis reprehendi Achillis ferociam atque superbiam, manifestum est. Neque magis Laomedon ab Apolline Φ 443 de eius fraude querente laudibus ornatur, nec proci, ubi a suis inimicis impugnantur. Sed ubi ipsi idem sibi cognomen imponunt, in bonam id partem accipiendum est.

Ex iis, quae veteres hoc de verbo exposuerunt, quoniam res satis plana est, duos tantum locos proponam: Schol. ad B 276: ἀγήνωρ· αὐθάδης, ὑβριστὴς καὶ θρασύς. ἔστι δ' ὅτε δῆλοι καὶ τὸν ἀνδρεῖον. D. Schol. ad I 699: ἡ διπλῆ, ὅτι ἐνίοτε μὲν ἐπὶ ἐπαίνου ὁ ἀγήνωρ, ὁ ἄγαν τῇ ἠνορέῃ καὶ τῇ ἀνδρείᾳ χρώμενος, νῦν δ' ἐπὶ ψόγου, ὁ ἄγαν ὑβριστικὸς καὶ διὰ τῆς ἀνδρείας ὑπερπεπτωκὼς εἰς ὕβριν. A. — Subst. ἀγηνορέη s. ἀγηνορίη inde ductum et ipsum utramque sententiam habet, unam I 696 (v. s.), alteram M 46, Ψ 457.

De *Agenoris* nomine proprio Homerico [Δ 476, Λ 59, M 93, N 490. 598, Ξ 425, O 340, Π 374, Φ 545. 579. 595. 600] vix quidquam esse addendum videtur, nisi forte hoc, optimo iure fortissimo illi Antenoris et Theanus filio id potissimum nomen fuisse. Sed idem nomen cum Cadmi et Europae patri fuerit inditum, fuere, qui huius quidem nomen ex vocabulo *Kanaan* esse depravatum pro certo affirmaverint, veluti Buttmann. in Mytholog. I p. 233 ss. Quo cum viro doctissimo facere videtur Choeroboscus in Bekkeri Anecdotis III 1181: ὁ Χνᾶς τοῦ Χνᾶ· οὕτω δὲ ἐλέγετο ὁ Ἀγήνωρ, ὅθεν καὶ ἡ Φοινίκη Ὀχνᾶ λέγεται. Cf. Hecataei frgm. 254 in Parisina fragmentorum historicorum graecorum editione I p. 17: Χνᾶ· οὕτω γὰρ πρότερον ἡ Φοινίκη ἐκαλεῖτο. Nihilominus respuerunt Buttmanni sententiam praeter alios Movers. Phoen. II, 1, 132 adn., Muys. l. l. I. p. 3. Acutissime hic atque felicissime nodum expedit, Graecos semiticum nomen dei *El* = *fortis* suo verbo Ἀγήνωρ vertisse docens.

Iam habes vocabula homerica cum adv. ἄγα copulata omnia. Sed exponendum etiam est de adiectivo

ἠγάθεος,

quippe quod et veterum et recentiorum pars maior ex ἄγαν et θεῖος copulatum esse arbitrentur. Ita quidem Apollonius Sophista (lex. Hom. p. 82 ed. Bekker.), Didymus (Schol. ad B 722), Hesychius s. v., Suidas s. v., Etym. M. alii; ex recentioribus Buttmann. Lex. I p. 48, Doederlein. Gloss. I No. 57, alii multi. Iure impugnat hanc opinionem Eustathius, dicens ad A 252: λέγει δ' ἐνταῦθα τὴν Πύλον ἠγαθέην οὐ τόσον ἐκ τοῦ ἄγαν θείαν .... ὅσον ἐκ τοῦ ἀγῶ ἀγάζω, ὅθεν ἀγαστὸς, ἀφ' οὗ ἀγαθός. οὕτω δὲ καὶ ἠγαθέη ἡ ἀγαστή. Similiter iam Etymologicum M.: παρὰ τὸ ἄγαμαι, ἀγάθεος, καὶ ἠγαθέη; at vero idem praeter hanc et vulgarem etiam tertiam originationem proponit: παρὰ τὸ ἄγαν καὶ τὴν θέαν, οἱονεὶ τὸ ἀξιοθέατον. Quarta denique reperitur in Etymologico Gudiano (ed. Sturz 1818): ἢ παρὰ τὸ ἄγαν καὶ τὸ θεός· τὸ γὰρ ἄγαν ἀποβάλλει τὸ ν ἐν ταῖς συνθέσεσιν, Ἀγανίπη (sic!), Ἀγαμίδης (sic!), ἀγάστροφος, Ἀγαμέμνων, καὶ ἠγάθεος, ὡς ἀνεμόεις ἠνεμόεις.

Ex quatuor his derivandi rationibus longe respuendae sunt eae, quae ab adverbio ἄγαν s. ἄγα proficiscuntur. Nam nullius unquam particulae principium ita mutatur, ut pro α et ε appareat η, pro ο autem ω. Vereor, ne isti legem, quam et Homerus et posteri in mutandis vocalibus, sive in verborum principio, sive in copulatorum verborum altera parte sibi imposuerunt, omnino non perspexerint. Nam si, metro tantum, id quod isti volunt, cedendum fuit, licuit Homero eadem uti libertate, qua utitur in ἀθάνατος, et aliis multis vocabulis; potuit metri gratia pronunciare ᾱμαθόεις, ᾱνορέη, ᾱγερέθονται, ᾱερέθοντο, ᾱνεμόεις κτλ.; in aliis verbis tali uteretur libertate ne necesse quidem fuit, cum per se ad metrum apta essent: ἀγᾰ́νωρ, ᾰ̓πιος (ἤπιος), ᾰ̓λασκάζω, νε-ᾰ́κης κτλ. Cur igitur mutaverunt Graeci dixeruntque ἀγήνωρ, ἤπιος, ἠλασκάζω, νεήκης . . . vel ἠνεμόεις, ἠμαθόεις, ἠνορέη, ἠγερέθονται, ἠερέθοντο κτλ.? Eo consilio, ne, sive syllabis longioribus subiunctis, sive aliis vocabulis praetentis, verae ac genuinae vocabulorum principalium stirpes suum pondus atque momentum perderent et quasi immergerentur sonorum fluctibus. Hinc sequitur, in nullam unquam particulam praepositam illud cadere posse. Etenim (ἠΰς) ἠΰ, ἠΰτε antiquiores sunt formae, unde (ἐΰς) εὖ etc. postea demum correptae sunt formae. Unum vocabulum Homericum, quod huic legi repugnare videatur, est ἥκεστος. Quapropter equidem unum illum versum qui hoc adiectivum exhibet, ita restituendum esse censeo, ut legatur (Z 94 = 275):

ἤνις, νηκέστας, ἱερευσέμεν, αἴ κ' ἐλεήσῃ —

Z 309 idem versus paullulum mutatus: ἤνις, νηκέστας, ἱερεύσομεν, αἴ κ' ἐλεήσῃς.

Quodsi igitur ab regulae quam dixi natura abhorret, ut vocabuli alicuius sive amplificati sive copulati pars levior vel etiam praefixa particula tanto pondere afficiatur, ut omnium oculos in se potissimum convertat, in ἠγάθεος non posse latere particulam ἄγα s. ἄγαν, manifestum est. Adde, quod ex ἄγα et θεῖος formari poterat, nulla mutatione insolita, ἀγαθεῖος, quod aeque bene metro dactylico conveniret; idem ex ἄγα et θεός; ex ἄγα autem et θεάομαι, pro quo Homerus semper θηέομαι utitur, licebat ἀγαθηητός efficere, quod et ipsum in metrum optime quadraret.

Quae cum ita sint, vocabulum ἠγάθεος verbum esse copulatum, infitiandum est.

Neque vero ab ipso verbo ἄγαμαι ulla ratione directa derivari potest. Sed est potius amplificatio quaedam adiectivi ἀγαθός, ita quidem ut etiam significatio amplificetur atque adaugeatur. Pari modo amplificatur αἰθός: ἤΐθεος proprie i. q. *igneus*, *acer*; quocum contulerim ἠνορέη, quod principio feminina forma adiectivi cuiusdam ἠνόρεος (ἀνήρ) fuisse videtur, ita ut haec ratio evadat:

ἠγάθεος: ἀγαθός = ἠνορέη: ἀνήρ = ἠΐθεος: αἰθός.

Alia exempla sint: λαΐνεος = λάϊνος; νηπίεος = νήπιος; νη-γάτεος pro νή-γατος.

